

sine magno iudicio , & uetusissimorum exemplarium ope , quæ Florentia , Brixia , Bononia , ipsaque , in qua uiuimus , Roma abunde suppeditauit , mutata a nobis sit . Vulgata quoque sacrorum Bibliorum editio magno nobis in emendando codice adiumento fuit . Siquidem in ea uerior s̄aþe lectio (quæ etiam commentario probaretur ) quam intra ipsum Hieronymum custodita est . Hieronymi autem uulgatam in prophetas esse editionem , etiam qui in reliquis Bibliorum partibus illius esse negaret , inficiari non poterit : quando ne uerbo quidem , paucis sublatis erroribus , una ab altera dissidet . Profuit hac in re etiam multum hebraica ueritas , ad cuius normam se sacra uolumina interpretatum esse , Hieronymus ubique fatetur : præsertim ubi illa uulgata (quam pro uiribus semper fecuti sumus) assentitur editioni : sicut lxx. interpretationem ex græco ipsorum codice , iuncto Hieronymi testimonio , ali cubi quoq; restituimus . Et quia Hieronymus tam suam , quā lxx. interpretationem , ubi inter se uariant , ex professo recenset , apposuimus in margine uerba hebraica , quæ inter ipsum , & lxx. differentiam fecere : & hoc ut uno intuitu lector diuersitatis fontem absq; labore statim aspiciat . Verum quia Hieronymus non secundum suam editionem (quæ nondum eo tempore recepta erat ) sed secundum interpretationem lxx. ubique tunc inuulgata , scripturæ sacræ testimonij utitur , difficillimum fuit ea , cum a uulgata nostra editione dissentient , inuenire . Inuenimus tamen fere omnia , marginique locum adscriptissimus , addita nota , secundum lxx. & hoc ne lector apud uulgatam nostram editionem testimonium quærens , & non inueniens , offenderetur : quam notam ponere omisiimus , ubi locus cum lxx. consentiens , in uulgata nostra repetitur editione . Hæc autem res , minima forsan aliquibus uideatur ; nobis certe maioris laboris fuit , quam quiuis existimare possit : quippe cum pro uno testimonio inueniendo , integrum interdum uolumen græcum uoluere , legere que necesse fuerit . At utilitatis fore magnæ , omnes absque dubietate aliqua fatebuntur . In Psalmis nihil tale perpessi sumus : sunt enim in uulgata editione ijdem illi , quos lxx. uerterunt : quos a se emendatos , & cum gaudio a Romana ecclesia susceptos , s̄aþe Hieronymus gloriatur . Non enim quos ipse ex hebraico transtulit , sed quos a lxx. translatos ipse e græco